




1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

IN

PERSII SATIRAS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXV

IN PUBLICO DEFENDET

ALEXIUS HECKMANNS,
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
HENR. SEILING, PRESB. STUD. PHIL.
VALENTIN. KEHREIN, PRESB. STUD. PhIL.
AUGUST HOFFMANS, DR. Et CAND. PROB. PHIL.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI KRICK.

MDCCCLXXV.

Theses.

1. Horat. Epist. 1, 7, 29 cum Bentleio legendum est pro „vulpecula“ „nitedula.“
2. Vell. Paterc. Hist. Rom. II, 39, 1 retinenda est lectio editionis principis: sed fulgentissimum ..... ignavum conferunt stipendium.
3. Tac. Germ. cap. 11 legendum est cum Gronovio: Ut turba placuit“ pro vulgata lectione: Ut turbae placuit.“
4. Aratea illa, quae sub nomine Caesaris Germanici circumferuntur, non Domitiano, sed Germanico, Drusi filio, tribuenda sunt.
5. Trichotomismus, qui vocatur, reprobandus est.
6. C. Jul. Caesar Kalendis Martiis anni 49. provinciis Galliis decedere debuit.
7. Soph. Oed. Col. 1082. 83 cum G. Hermanno legendum est: *αἰθερίας νεφέλας | κύρσαιμι, τῶνδ' ἀγώνων ἐωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.*
8. Thucyd. h. b. P. III, 17, 1. 2. *παραπλήσιαι καὶ ἔτι πλείους ἢ ἀρχομένου τοῦ πολέμου. τήν τε γὰρ . . .*, *χωρὶς δὲ αἱ ἐν τοῖς . . .* emendanda et ad quartum potissimum belli annum referenda sunt.

Vita.

Natus sum Henr. Alexius Heckmanns in Rheurdt a. d. VIII Jdus Julias a. h. s. IVL patre Jacobo, matre Petronella e gente Haffmans, quorum alterum nuperrime ereptum mihi esse valde doleo, alteram adhuc superstitem pio animo colo. Fidem profiteor catholicam. Quindecim annos natus in Coll. Augustinianum, quod fuit Gaesdonckiae, receptus sum, ubi per quinquennium ducibus optimis praeceptoribus ad studia incubui; illis omnibus, praecipue VV. CC. Rectori Perger et Praesidi Ebben gratum animum semper habebo. Maturitatis testimonium adeptus hanc Academiam Monast. petii et per duo semestria scholis phil. interfui VV. CC. Stoeckl, Winiewski p. m. Heis, Storck, Niehues, Hagemann, Schwerdt et per biennium scholis theol. VV. CC. Berlage, Bisping, Schwane, Reinke, Cappenberg, Puengel. Deinde per anuum Seminarii Clericalis Monast. alumnus fui ac sacerdos factus missus sum in Coll. Augustinianum, ubi per duos annos praeceptoris munere functus sum. Tum ad Universitatem Bonnensem me contuli et per duo semestria audivi VV. CC. Buecheler, Bergk, Heimsoeth, Simrock, Bischoff atque unum semestre exercitationibus philologicis, quibus Heimsoeth praeerat, interfui. Inde reversus ad Academiam Monast. per annum scholas frequentavi V. C. Langen.

Viris omnibus, quos nominavi, doctissimis pro illorum in me meritis gratias ago quam maximas.

PERSIANA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE XII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXV

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

ALEXIUS HECKMANNS,
RHENANUS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI KRICK.
MDCCCLXXV.

FRATRI SUO CARISSIMO

JULIO HECKMANNS

D. D. D.

SCRIPTOR.

PERSIANA.

Pars I.

Observationes aliquae ad Persii satiras universas.

§. 1.

De exemplis et comparationibus.

Satirae officium in eo versatur, ut cuiusque saeculi mores corruptos castiget hominesque perversos ac de via recta declinantes ad virtutem iustosque mores revocet. Quam multum valeat ad vitia sananda, cum haec ipsa vivide ante oculos ponuntur, quis est quin videat? Tum enim ornatu nudantur, quo saepe in vita quasi velo quodam specioso teguntur, atque tota eorum deformitas penitus spectatur. Itaque satirarum scriptores in eo multum operae ponere necesse erat, ut vitia, quorum taedium ac fastidium excitabant, tamquam speculo claro repraesentarent.

Atque hoc non apte fieri posse disputationibus, quae in universum vagantur, sed multo melius exemplis certis atque expressis nemo negabit. Quam artem Persius in exemplis, quae affert ad rerum adumbrationem, eligendis, depingendis atque exornandis praestiterit, accuratius dispicere operae pretium est. Plurima petit exempla e vita communi (cfr. Jahn praef. p. 106 et p. 83) id quod satirae maxime convenit, cum praesenti quodam impetu et aspectu delictorum, quae quasi ante suos oculos patrantur, ad scribendam illam excitetur poeta ac moveatur. Etenim satira in media vita versatur, praesentes homines eorumqne mores corripit, non ad priora tempora vel priores homines recedit. Ac miremur oportet Persii vitae scientiam idque eo magis, quod praematura morte abreptum eum esse scimus. Propter hanc ipsam scientiam illi viri docti minus recte iudicare mihi videntur,

qui semper scholae vinculis obstrictum eum fuisse contendunt. Nam mihi dubium non est, quin ex intima hominum consuetudine exempla hauserit; ex schola talem ad vivum descriptionem, qualis non raro nobis occurrit, prodiisse mihi persuadere non possum. Mores ac sermonem hominum, popularium maxime, diligenti attentione bene perspexit et singula depingit ita ut ii, quos in exemplum profert, quasi viventes nobis ob oculos versentur. Genus quoddam hominum non describit in universum, sed unum illud repraesentantem in medium producit, cuius vultum, corporis habitum, gestus, sermonem vividissime exprimit ita, ut vivum spectare videamur. — In sat. I a versu 15 castigat recitandi morem, qui tum maxime vigebat. Quibus artibus ridiculis poetae sint usi, ut populi admirationem moverent, hoc loco perbene noscimus. Depingit enim Persius eum, qui ad recitationem se accingit; ornatum, habitum ita describit, ut quasi praesentem habeamus. Atque ubi diligentius spectaverimus, verba non sine arte electa esse inveniemus: ita „natalicia" voce ad „sardonyche" iuncta; „recenti" ad „toga" applicata cura indicatur eximia, quam adhibuit poeta in corpore ornando; vox „celsa" (sede) quantopere providerit testatur, ut insigni loco sederet, unde ab omnibus spectaretur. — Attende ad vv. 85 sqq. sat. I. Persius Romanos incusat, quod relicta sincera orationis veritate verborum grandem sonum et splendidum ornatum summum ac gravissimum habeant. Quam sententiam illustrat exemplo a Pedio desumpto, qui nequissimi sceleris crimine oneratur. Et hic peritus populi Romani naturae non adeo laborat, ut refutet crimen, sed ut audientium animos sibi conciliet sermone polito et artificioso. Hanc defendendi rationem laudat populus Romanus atque exclamat „Bellum hoc". Persius vero maxima indignatione affectus interrogat: „Hoc bellum?" Atque quis legentium illam poetae descriptionem non afficiatur eodem de Romanorum perversitate fastidio? Pristinam sinceritatem tum extinctam fuisse nemo est, qui non intellegat. Quanto vividior ac lucidior fiat oratio exemplo, perspicies optime, cum sat. II. vv. 8—15 consideraveris. Sane poeta dicere potuit, aperte bona mala occculte vota diis commendari, ut non singula utriusque generis enumeraret; sed quam ieiunus fuisset sermo! Nunc audire videmur improbos illos nefaria vota ad deos mittentes ac simul bene intellegimus, quo progressa fuerit morum pravitas. Idem valet in eiusdem satirae loco, ubi vana superstitio

corripitur. Ad rem sufficiebat stulta vota significare; sed poeta nobis aviae proponit imaginem, qua lepidiorem aliam fere nullam invenies. Ante oculos quasi vivens avia plena superstitionis obversatur, videmus eam eximere infantem e cunis, diversis modis lustrare, manibus quatere, denique supplicem precari ad deos, audimus singula vota ad illius naturam aptissime ficta. — Satirae tertiae initio iuvenis desidiosi eiusque comitis descriptio arte non caret. Iam primis enim verbis comitis inertia iuvenis indignati scena nobis ita repraesentatur, ut rei ipsius spectatores videamur. Et quanta veritate depingitur adolescentis e somno excitati morositas, quam exercet in instrumenta, quibus utitur ad laborem haud ita ei iucundum. — Quid potest inveniri verius ac lepidius, quam pueri imago, qui oleo linit oculos, ut scholam effugiat et ad ludos possit incumbere, in quibus quid proficiat atque excellat maxime curat. — Aptissime centurionis „hircosi“ personam exprimit et linguam eius rudem atque incultam imitatur. Profecto dignissimum isto homine dictum illud, unde orditur eius oratio: „Quod sapio, satis est mihi.“ Tum philosophos irridet talibus verbis, qualia optime cum eius natura impexa conveniunt. Atque cum in eadem satira descriptionem aegroti conspexeris, hanc arte singulari compositam esse agnosces. Anxius ac trepidus a medico petit, ut morbi naturam exquirat; vix refectum se sentit, cum pristinis denuo cupiditatibus indulget et medico monenti, caveat, insolenter respondet. Atque egregie a poeta describitur, quantum paullatim morbus proficiat, donec homo incautus ac temerarius moriatur; tum nos funebribus interesse videmur solemnitatibus. Tum Vettidii avari in Sat. IV. v. 25 sqq. quam vera repraesentatur imago et quanta subtilitate singula quaeque ante oculos ponuntur! Spectamus eum tardum et haesitantem deradere seriolae limum, atque rerum etiam minutissimarum poeta rationem habet, quod ad „limum“ „veterem“ adiungit, quo avarum vinum illud ut pretiosum diu servasse indicatur. — Ex his, quae attuli, satis intellegi puto, qua arte Persius ad verum expresserit exempla ex diversis hominum generibus deprompta. In omnibus enim observandum est, non certorum hominum, sed generis fere cuiusdam imagines esse. Quo quidem maxime differt a ceteris satirarum scriptoribus, qui plerumque in certos homines invehuntur. Num iure vitio tribuatur Persio, quod satiris suis non singulos homines infamaverit, sed aetatis suae mala communia castigaverit, disputare hic non locus est.

Ut exemplis sententias illustrat, ita similia saepissime adhibet ad res clarius indicandas. Quae maxime petit e vita cotidiana atque vulgarium hominum usu, quod ut intellegatur ac demonstretur singula quaeque deinceps enumerabo.

In sat. I. vv. 65. 66 Persius agit partes hominis vulgaris, qui patroni divitis carmina laudibus effert ita quidem, ut iis similibus utatur, quae praesto ei sunt ex usu suo cotidiano. Et quantam curam rerum etiam minutarum in effingendis similibus habeat poeta et quam optime ad vivum depingat, intelleges, cum adverteris ad verba „oculo uno“ „si rubricam dirigat“ vocibus addita. Fabri enim, ut quam accuratissime cernant, uno tantum oculo utuntur, alterum claudunt, quod Persius ad comparationem adiungit, ut plenam et claram imaginem exhibeat.

Sat. III. vv. 21 sqq. comparat hominem cum vase fictili, quod non satis coctum percutienti vitium aperit. Quam apte quadret imago ad hominem huc illuc vagantem quique ad certam et firmam vitae rationem nondum pervenerit, apparet. Atque paucis quidem verbis, accuratissime tamen Persius hanc imaginem expressit. „Sonat“ vox perbene convenit cum „percussa“ voce; neque enim utitur poeta verbo magis generali, v. g. ostendere, aperire, detegere etc., cum ex ipso sono vitium conspiciatur; „maligne“ vocem festive „respondet“ voci adiungit, cum, quod venditor studet celare, vas ipsum prodat. Tum hominis educationem comparat cum figulorum labore udi ac mollis luti fingendi. Et hanc quamquam brevissimam tamen rotundam et plenam habes imaginem. Adiunctis enim vocibus „acri rota“ satis nobis repraesentatur figuli opera; vox „nunc“ repetita, deinde „sine fine“ perbene depingit industriam, quam in animo educando adhiberi oportet. Sat. III. 33, 34 hominem permnltis vitiis laborantem, ita ut sibi ne conscius quidem sit, quid perdiderit, confert cum eo, qui in aqua demersus non iam ad superficiem redit.

„Bullit“, Jahnius annotat, „naturae convenienter dixit; nam quae in aqua surgunt, bullas faciunt“. V. 60 quaerit ex adulescentulo, utrum sit aliquid, „quo tendat et in quod dirigat arcum“, an similis sit pueris, qui corvos testa lutoque sequantur, securis, quo pes ferat.

Licet ex proverbio Graeco: *πετόμενα διώκειν* hanc comparationem deprompserit, tamen ex suo ingenio verbis brevissimis

vividam imaginem finxit. Effecit imprimis „testa lutoque“ vocibus adiunctis, quibus optime nobis ii repraesentantur, qui, quidquid ad iaciendum idoneum rapuerunt, corvos sequuntur. Itaque quocunque spectaveris, ne minima quidem Persius neglexit, ut ad vivum depingeret.

V. 68 comparationem instituit de ludis circensibus et aurigandi arte desumptam. Imaginem praebet artissime illam quidem circumscriptam; attamen lucidissime exhibet omnia, quorum habere debuit rationem auriga, ut currum feliciter ad finem perduceret, quaeque ad vitam traduci possunt.

Sat. IV. v. 13 sumit comparationem de iudicum more, theta signi faciendi, si quem capite damnabant; v. 15 de pavone petit imaginem, qui superbe incedens caudam extendit ac iactat, quod facillime ad hominis vani superbiam traduci potest.

Quam in v. 24 exhibet comparationem deprompsit ex Aesopi fabula, qua ita Persius utitur, ut fingat, hominem ea tantum vitia spectare quae praecedens portet in mantica a tergo pendenti.

Vv. 46 sqq. hominum morem inter se obtrectandi confert cum pugna gladiatoria et eum, qui sua ipsius vitia vult ignorari, cum gladiatore vulnus praetegente balteo aureo.

Sat. V. vv. 10, 11. Cornutum non petere praedicat, ut omnia magnifice grandique sono loqueretur, quod quidem exprimit imagine de folle desumpta. Festive posuit „anhelanti“ (folle), et, quod convenit cum follium natura, et, quod aptissime traducitur ad eos homines, qui magno labore nituntur, ut grandia proferant. „Coquitur dum massa camino“ perbene vim magnam follium pingit idemque facillime refertur ad homines illos, qui magnas cogitationes in animo se volvere simulant.

Vv. 24. 25 habemus comparationem de parietibus ductam, qui aut lapidibus extructi erant aut tectorio quodam induti, quod levigatum et pictum lapidem imitabatur. „Solidum crepet“ elocutio similis est ei, quam in sat. III. v. 21 habemus. Ibi vocem „sonare“ optime electam esse indicavimus; neque minus hoc loco „crepare“ vox ad rei naturam magnopere quadrat.

Nam, ut Jahnius annotat, crepare de iis dicitur, quae non purum et canorum sonum edunt, sed fractum quasi et obscurum, id quod in parietibus pulsandis locum habere apparet.

V. 38 utitur eadem imagine, qua in Sat. II. v. 65 de regula capta, ad aliam quidem rem traducta.

Vv. 116 sqq. similem habemus imaginem atque Sat. III, v. 21 et Sat. V, vv. 24. 25 similemque verborum structuram. „tinnire“ de iis dicitur, quae sonum habent acutum et clarum, id quod ad metalla pertinere constat.

V. 70 sqq. sententiam, illum qui res in diem crastinum semper profert, numquam „illud cras“ consecuturum esse illustrat imagine de rota deprompta. Quae quidem rota sub eodem curru priorem nunquam assequitur, quamvis celeriter sectetur.

V. 154. sumit comparationem de hamo, quo duplici in diversum scindi dicit eum hominem, qui cupiditatibus obnoxius sit. Neque cum semel obstiterit libidini, affirmare licere, cupiditates esse extinctas. Quam sententiam adumbrat (vv. 159. 160) imagine canis, cui cum fugit nodo abrepto, catenae pars longa trahitur.

Sat. VI, v. 61 utitur similitudine petita ex lampadodromia, quae apud Athenienses et alias Graeciae gentes exercebatur.

Omnes igitur comparationes, cum exceperis illam imaginem, quam ex Aesopi fabula petiit in Sat. IV. v. 25, poeta desumpsit de vulgarium hominum opera, de communi vita usuque cotidiano. Neque sine arte compositas illas esse fatemur, et quod hominum vita et consuetudine diligenter observata vividas imagines Persius effecit, et quod voces maxime rebus accommodatas adhibuit. Hic illic eum in proponenda imagine breviorem et audaciorem fuisse in commiscendis rebus et comparationibus, sane negari non potest.

---

§. 2.

De Persii sermone.

Illud Senecae, quod est in epistola eius 114: „Talis fuit hominibus oratio, qualis vita“ in Persium maxime cadere mihi videtur. A prima adolescentia ad philosophiam stoicam se applicuit. Utebatur amicitia virorum tum doctissimorum, Cornuti, Caesii Bassi, aliorum, qui in illorum temporum perversitate ad philosophiam profugerant, ut inde solatium ac morum effrenatorum remedium peterent.

Lascivia mollitiesque corruperat mores, virtus illa Romana, quae liberae reipublicae temporibus viguerat, omnis fere extincta fuit. Libertatis ingenuae caritas ac desiderium cesserat humilitati nefariae abiectisque adulationibus, quibus principes et divites quasi obruebantur. Veritas ac iustitia non iam in pretio erant, successerat divitiarum nimius quaestus et honorum nequissima ambitio. Atque, qui tum gubernabat rempublicam, Nero horum aetatis vitiorum tamquam signifer fuit. Neque tamen mores ac vita tantum infecta erant pravitate, in litteras quoque, ut adsolet, irruperat corruptio. Quantopere plurimi illius aetatis scriptores luxu et mollitie diffluxerint et in eo summam orationis posuerint, ut molliter fluerent verba, Persius in Sat. I, qua litterarum statum castigat, ipse testatur. Quid mirum, quod in hac virtutis ac roboris dissolutione viri veritatis amantes taedioque affecti lasciviae in mores et litteras ingruentis ad philosophiam, veri ac boni magistram, se converterunt. Tum erat inprimis philosophia stoica, ad quam optimus quisque refugit. Persius quoque maximo studio omnique iuvenili ardore ad hanc animum vertit, id quod omnes eius satirae, prima fortasse excepta, luce clarius ostendunt. Hanc brevem disputationem quem ad finem instituerim, apparet, cum sola aetatis ac vitae cognitio Persii sermoni lucem afferat. Multum enim accusata est Persii obscuritas et rigida brevitas, neque iniuria, ut mihi

videtur. Nonnulla quidem nobis obscura Romanis illius aetatis nescio an fuerint clara atque perspicua, praesertim cum satirae praelectionis artis eximiae indigeant, quae tum maxime vigebat et excolebatur: attamen restant loci permulti, qui sine dubio ex iis vitiis, quae modo commemoravi, laborant. Rationem autem horum vitiorum gravissimam non ita in eo posuerim, quod Persius pugnet quodammodo cum sermone et quae mentem agitant, non nisi magno impetu et iterum iterumque aggressus vix tandem proferat (Jahn. proll. pag. 36), sed potius in nisu adversus contrarium genus scribendi. Omnes tum stoici sese obiiciebant vulgari levitati ac difluenti mollitiei vita non minus quam litteris. Quam diversum a vulgo habitum et severum etiam foris prae se tulerint, colligi potest ex philosophorum imagine, quam supra modum quidem exaggeratam centurio in Sat. III depingit.

Itaque quin aliter conformaretur Persii sermo vix fieri potuit, cum adolescens severa philosophiae disciplina imbutus summoque fastidio lasciviae morum ac litterarum affectus vim masculam atque rigorem pristinum Romanum prae se ferre studeret. Ideoque non raro de industria abrumpere sententias Persium deprehendes; permulta ex populari sermone adhibuit, ut quam alienissimus videretur ab omni orationis inani ostentatione. Hoc laude non caret, quod, ubi alterum loquentem inducit, ita fingit sermonem, ut cum conditione naturaque eius conveniat. Videas Sat. I. v. 24. 25, ubi sermo propter comparationes nimis quaesitas ad poetae illius vani ac superbi indolem mire quadrat. Eiusdem rei habes exemplum in Sat. I. vv. 65 sqq., quod iam supra commemoravi. Ac quam proxime sermo centurionis „de gente hircosa“ ad eius naturam accedit; quam egregie convenit interrogatio et mirantis simul et irridentis: „Cur quis non prandeat, hoc est?“ Item mori hominum eorum, qui malum quod ipsi commiserunt in monentes transferre solent, convenientissima est aegri responsio ad benevoli monitoris verba: „At tu deterius palles.“ (Sat. III. v. 96.)

Rem minutissimam Persium observare in sermone bene formando, intelleges ex Sat. I, v. 112. Hic enim iocose legem imitatur ideoque forma verbi obsoleta „faxit“ aptissime utitur. At non paucos locos reperies, qui limam extremam valde desiderant, quique ostendunt Persii carmina non sponte vel sine magno labore ex ingenio promanasse. — Neque rarae loquendi licentiae

in satiris inveniuntur, quarum potissimas enumerabo. Huc audaces referas translationes ut in prologo: cantare nectar; sorbere Anticyras meracas Sat. IV, v. 16; veteres avias (tibi de pulmone revello) Sat. V, 92.

Ad infinitivum tamquam ad substantivum adiungit pronomen vel adiectivum. Sat. I. v. 9: istud vivere triste. V. 27: scire tuum. V. 122: hoc ridere meum. Sat. V, 53: velle suum. Sat. VI. 38. 39: sapere nostrum.

Saepius cum adiectivo coniungit infinitivum ad illius determinationem: Prol. v. 11: artifex sequi (negatas artes); Sat. I. 59: (manus) imitari mobilis (auriculas albas); v. 70, 71: ponere (lucum) artifices; v. 118: callidus (populum) suspendere. Sat. II, 34: inhibere perita; v. 54: laetari praetrepidum (cor). Sat. III, 51: callidior (buxum torquere); Sat. IV, 16: melior sorbere; sat. V, 15. 16: doctus radere (mores) et defigere (culpam); v. 20: idonea dare; v. 24: dinoscere cautus; v. 37: fallere sollers; v. 100: nescius compescere (examen). Sat. VI, v. 3. 4: opifex intendisse; v. 6: egregius lusisse; v. 23: ponere lautus|; v. 24: sollers nosse; v. 76. 77: praestantior plausisse.

Cum verbis subiectivis iungit adiectivum vel substantivum tamquam obiectum.

Sat. I, 90: verum nec nocte paratum plorabit; Sat. II, 21: sonat vitium. Sat. III, 59: oscitat hesternum; v. 110: subrisit molle. Sat. IV, 34: acre despuat. Sat. V, 25: solidum crepet; v. 106: mendosum tinniat; v. 190: crassum ridet. Sat. VI, 35: spirent surdum. — Adverbiis nonnullis utitur pro nominibus substantivis ideoque pronomen vel adiectivum ad ea adiungit. Sat. I, 49: euge tuum et belle. Sat. III. 1: clarum mane; Sat. I, 84: tepidum hoc decenter; Sat. V, 68: cras hesternum — aliud cras.

In adiectivorum usu mirae brevitati atque audaciae Persium operam dedisse apparet. Videas Sat. I, 18: patranti ocello. Oculum ipsum dicit patrantem, quod rei venereae consummatione oculi maxime affici solent.

Sat. I, 21: tremulo versu. Versum vocat tremulum, quod voce tremula recitatur. Jahnius explicat: tremulo i. e. libidinoso; ita quidem recte, quantum mihi videtur, ut vox tremula ex animi et sensuum motu libidinisque excitatione oriatur.

V. 31: balba de nare. Balbutire cum ad linguam magis pertineat, ad narem transfert, quod promanabat ex inani affectatione de nare loquendi.

V. 72: „fumosa Palilia“ dicit, cum die Pali deae sacro in agris foenum incenderetur.

Similia: Sat. II, 5: tacita acerra: v. 55: auro ovato; Sat. III, 4: quinta umbra; v. 81: rabiosa silentia; v. 106: hesterni Quirites; v. 115: timor albus. Sat. V, 60: lucem palustrem; v. 62: nocturnis chartis; v. 165: limen obscoenum; v. 184: recutita sabbata.

Persii proprium est multa adhibere nomina deminutiva: ocellus Sat. I, 18. vetulus v. 22. auricula I, 22, 23, 108, 121; II, 30. rancidulus I, 33. elegidion I, 51. horridulus I, 54. aqualiculus I, 57. testiculum I, 103. libellus I, 120. lapillus II, 1. labellum II, 32; III, 82; canicula III, 5; 49: patella III, 26; IV, 17; beatulus III, 103; plebecula IV, 6; popellus IV, 15; VI, 50; cuticula IV, 18; articulus V, 59; tesserula V, 74; tabella V, 81; pellicula V, 116; rubellus V, 147.



Pars II.

Quaestiones exegeticae criticae.

Sat. I vv. 11. 12. De versuum 11. 12. et dispositione et interpretatione magnae apud viros doctos exstant differentiae. Atque primum exoritur quaestio, utrum „nolo" voc. in versu 11 adversario an poetae attribuendum sit. Omnes fere interpretes adversarii esse diiudicant. Ita Casaubonus: Concludens (poeta) satiram, inquit, omnino se scripturum veniam facti petit, quod alter verbo negat. Quocum consentiunt Jahnius in ed. mai., Passovius, alii. Heinrichius autem aliter sentit atque sic locum explicat: tunc, tunc ignoscite nolo: Dann verzeiht, wenn ich jenes betrachtend mich nicht mehr halten kann. Nolo läßt man allgemein den Gegner sprechen als eine trotzige Weigerung, die aber etwas kindisch herauskommt. Der Dichter sagt es: Ich nehme mir vor nichts zu sagen; was will ich aber machen?

Heinrichio plane concedo, multo aptius „nolo" voc. attribui poetae, quam alteri. Sed in hoc ab eo dissentio, quod vox „ignoscite" arctissime iungenda mihi videtur cum voc. sequente „nolo"; non cum praecedentibus tunc, tunc; ita ut versum 11 hoc modo scribi oporteat . . . tunc tunc — ignoscite nolo.

Quam optime haec verborum distributio ad sententiarum nexum totumque locum quadret, explicatio, ut spero, probabit. — Poetae cum primo versu tamquam argumentum totius satirae protulit, alter quem secum colloquentem fingit, dissuadet ne talia scribat, quoniam nemo lecturus sit. Poeta quasi expergefactus e meditatione et dubitans, num sibi illa verba dicantur, interrogat: Min' istud ais? Fingit enim se concipere non posse, omnes adeo esse depravatos, ut nemo virtutis praecepta velit audire. Tum alter, quod antea dixit, affirmans: Ita, tu es, cuius scripta a nullo legentur: Nemo hercule. Poetae rem ita se habere nondum

satis persuasum est atque paullum incredulus repetit: Nemo? Adversarius restringit aliquantulum quod modo dixit, a nullo scripta legi, ac concedit fieri posse, ut a duobus (i. e. paucis) legantur; sed tamen aeque turpe et miserabile esse poetae, sive a duobus sive a nullo legantur. Tum denique Persius ira superbiaque flagrans exclamat: Quare? h. e. turpe et miserabile putas? Equidem vulgi iudicium sperno neque ad scribendum commoveor, ut laudes hominum consequar; quid enim valet stultum et perversum Romanorum iudicium? Ita suspicione remota, se popularem auram captare, ad id proponendum aggreditur, quo ad scribendum ducatur. Esse dicit aetatis miserias et calamitates, quibus aspectis se contineri non posse, quin satiram scribat. Post primum enim tunc in v. 11 enuntiatio ita fere continuanda erat: facere non possum, quin satiram scribam. Sed haesitat subito ac meditatur, id quod exprimit vox „tunc" repetita, quantum ausurus sit, et per ludibrium veniam petit, quod illud in animo habuerit. Statim autem scribendi consilium repentina dubitatione, ut fingit poeta, repressum invalescit, et Persius quasi inter duas cogitationes inter se certantes collocatas interrogat: Quid faciam? Tum denique omnem fluctuationem ac dubitationem abrumpit: Sed sum petulanti splene cachinno. Heinr. post „tunc tunc" aposiopesin non statuit, sed „tunc tunc ignoscite" apodosin esse putat, quam poeta initio enuntiationis iam cogitaverat. At repetitio „tunc" vocis quid sibi velit, intellegere non possum; nam ineptum mihi videtur enuntiatum, cuius pars posterior initio eandem sonat gravitatem (tunc, tunc), absolvi veniae precatione. Atque alteram habeo causam, cur Heinr. in loco interpretando non sequar. Ipse facit hanc annotationem: Sed ſteht etwas ſonderbar, als folgte der Satz unmittelbar auf nolo; nun aber ſteht: Quid faciam? dazwiſchen; dieſes ſteht alſo in Parantheſe wie III, 26: Quid metuas? und Aehnl. bei den Attikern, πῶς γάς, πῶς δοκεῖς als Parantheſe." Fac ut „sed" artissime iungatur cum „nolo": tota sententia non apta mihi videtur. Exspectaremus post „nolo" cogitationem: sed vos ipsi vitiis vestris me concitastis; causa, qua commoveor ad satiram scribendam, non in me est posita, sed in vobis ipsis. Atqui ut Heinr. interpretatur, „nolo" voce poeta negat, sua voluntate se moveri; postea sua ipsius natura se impelli affirmat. Neque enim opposita mihi videntur „Nolo" et „sum petulanti splene cachinno."

Praeterea difficile est intellectu, quid valeat interrogatio „Quid faciam"? si parenthesin solam esse iudices. — Ut paucis, quod de hoc loco sentio, complectar: Post „tunc tunc" fingit poeta, se repente deterreri a scribendi consilio. Quid faciam? est interrogatio nutantis atque secum ipso quasi pugnantis. „Sed" rescindit omnes dubitationes statimque poeta ad res, quas proposuit, tractandas progreditur.

v. 63 sqq.

Quaeritur, utrum inde a versu 63 dialogus sit, necne. Jahn. in ed. mai. signis appositis ad verba: „Quis populi sermo est?" dialogum esse monet, reicit in ed. min. Schol. ad hunc locum adnotat: Ad eius personam redit, quam superius fecerat dicentem: verum mihi dicite de me. Deinde motus indignatione tam parvae digressionis parenthesin facit. Nam contextus hic est: Verum mihi dicite de me, quis populi sermo est? hoc est: quid de me populus loquitur? an bonum poetam me dicit? Quis enim, nisi carmina .... Aut responsio convivae illius adulatoris est, aut ipsius Persii: Quid aliud, nisi quod talia carmina facis, quae mollitie et tenero levore suo inoffensa defluunt et unguis severum iudicium non formidant. Hoc quidem pro certo habeo, cum verba: Quis populi sermo est? divitis illius interrogationem iudicaveris, sequentia: Quis enim .... ipsius Persii responsionem te non posse existimare. Non est enim, cur Persius hic partes clientis interrogati suscipiat; nec potest negari, verba ad naturam ordinemque clientis aptissime ficta esse. Attamen hoc loco dialogus omnino statuendus non est. Nam Persius ubi non adversarium secum ipso pugnantem fingit, sed inter alias personas dialogum instituit, clarissime hoc solet indicare. Vide Sat. III, 7. Huius satirae initio alium loquentem inducit; quis sit, in versu 7. dicit: Unus ait comitum. In eadem satira habes exemplum vv. 88 sqq., ubi dialogus est inter aegrotum et medicum, id quod diserte significat in v. 90: Qui dicit medico. Advertas ad satirae IV initium: Rem populi tractas? barbatum haec crede magistrum dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae; item Sat. V, 83 sqq.: Mendose colligis, inquit Stoicus; v. 132 sqq.: Mane piger stertis. Surge, inquit avaritia; v. 161 sqq.: ... crudum Chaerostratus unguem abrodens ait haec.

Atque cum hoc loco sermonis vicissitudo nullo modo significetur, equidem dialogum non esse inter patronum et clientem persuasum habeo; iureque Jahnium signis in ed. min. quae in ed. mai. apposuit, reiectis hoc indicasse. Item Passovius, Heinr., Hermannus ita posuerunt interpunctionem, ut interpretationi, quam attuli, favere videantur.

Sat. I. vv. 92 sqq.

Prima hic exoritur quaestio, utrum his versibus dialogus contineatur necne. Schol. hic ullum esse negat, cum adversarii ne mentionem quidem faciat, sed Persium per ludicrum quaedam in contrariam partem afferre confirmet. Quam sententiam secuti sunt VV. dd. Reizius, Hauthalius, Kisselius. Atque libens eandem amplecterer, fateor, nisi graviter me offenderet v. 98. Nam illud „Quidnam igitur" cum ea sententia convenire non mihi persuadeo. Ut diceret Persius versus 96. 97, quibus ironice reprehenderet Virgilii carmina ut arida et inelegantia, tum desideraremus aliam quandam formulam, qua ironiam persequeretur, fortassis: Scilicet hoc tenerum. Sed verba: Quidnam igitur . ." indignationis aliquid continent, id quod hic aptum non esse credo, si ipse priora attulerit. Sin vero vv. 96. 97. Virgilii Aeneidis reprehensionem non continere censueris, sed „Arma virum" tamquam obsecrandi formulam acceperis, ut fecit Meisterus, quem Passov. Jahnius sequuntur, ideoque versuum reliqua verba ad novi generis carmina referenda esse, tum: „Quidnam igitur" nisi ab altero dici nequeunt. Nimis enim langueret oratio nullusque esset progressus, si, cum iam antea de novis carminibus iudicium tulisset, eiusdem generis a versu 99 afferret. — Itaque dialogus in his versibus mihi videtur statuendus esse; difficillima autem est quaestio, quomodo disponi oporteat.

Magna enim inter viros doctos est dissensio de his versibus et disponendis et explicandis. Duae praesertim sententiae ad hanc quaestionem prolatae sunt, quas deinceps perscrutemur. Casauboni enim distributionem et expositionem, cum non satis firmis argumentis fulta mihi videatur, missam facio. Altera earum est Jahnii, Passovii, Meisteri, aliorum; alterius auctor Heinrichius.

Illi versus ita disponunt:

vv. 92—95: adversarius

vv. 96. 97: Persius

vv. 98—103: adv.

vv. 104 sqq.: Pers.
Hic ita disponit:
vv. 92—97: adv.
vv. 98 sqq.: Persius.

Consentiunt igitur in dispositione versuum quattuor 92—95; in duorum sequentium dissentiunt. Alteri hos versus attribuunt Persio, qui indignabundus, cum adversarius exempla attulerit, in quibus artificiosa illa iunctura spectatur, respondet: Arma virum! Hisce verbis uti Persium exclamatione optimi poetae in his ineptiis memorem contendunt. Ad hanc interpretationem tuendam Jahnius affert, quod Schindler huic loco adhibuit ex Florentini institutionibus l. VIII.: Quae extrinsecus et nihil ad praesentem actum pertinentia adieceris stipulatione, pro supervacaneis habebuntur, nec vitiabunt obligationem, veluti si dicas: Arma virumque cano", sponsio nihilo minus valet." At hunc locum ad eorum sententiam probandam satis multum valere non arbitror, quia, num illa verba: Arma virumque cano" tamquam asseverandi vel affirmandi formula accipienda sint, merito in dubium potest vocari. Illa Meisteri, Jahnii, aliorum interpretatio mihi quidem magis ingeniosa quam vera videtur, cnm sit nimis arguta et artificiosa. Atque equidem censeo, comparationem de ramo arido depromptam, quae sequitur verba: Arma virum", Persio non apte attribui. Imaginem enim sumpsisset, qnantum sentio, de ramis mollioribus sine nervis ac robore, qui ut infructuosi et inutiles exscinduntur. Cum his enim compararet optime, quod reprehendit, carminum turgidum ac permolle genus loquendi. Versus autem molles ac delicatos conferre poetam cum ramo „vetere cortice pingui" veri simile mihi non est. Quibus ut versus 96. 97 adscribam adversario, moveri me fateor. Tum v. 98 Persio attribuendum esse apparet. Num versus sequentes quattuor poetae sint aut alterius, difficillimum est diiudicatu. Heinr. poetam ipsum loqui confirmat, quod nulla sermonis vicissitudo indicatur. Sed hanc rationem satis valere non puto ad opinionem illam tutandam. Saepissime enim in satiris accidit, ut nullo modo personarum vicissitudine significata subito atque abrupte altera sermonem excipiat. Ad hanc quaestionem ex iis, quae Jahn. de Persii dialogo fusius explanavit (proll. p. 84—108) pauca huc afferre liceat: Illud enim, inquit, non potest negari, Persium omnium summa libertate in disponendo dialogo uti, ita ut prouti lubet adhibeat et abrumpat et

aperte eximiàm quandam recitandi artem postulet. Quod omnino in Romanorum scriptis non videtur neglegendum, ea, postquam invaluit recitationum mos, ad praelegendum potissimum esse composita et legendi artem summo studio esse excultam, vel ipse Persius docet, qui corruptam effeminatamque lectionem perstringit (Sat. I, 32 sqq.) Ex his elucet, non opus fuisse satirarum scriptori personarum vicissitudinem aliquo modo indicare, cum vocis modulatione satis significaretur. Attamen Heinr. assentior, vv. 99—103 optime referri ad Persium, alia quidem ratione commotus. Multo enim acrior atque acerbior ironia mihi esse videtur ideoque satirae magis conveniens, cum nobis repraesentamus, poetam ipsum per ludicrum hos versus recitare idque cum eo gestu, quem modo depinxit „laxa cervice legendum."

Heinrichii sententia haec est:

Iis, quibus Persius aetatis suae carmina nimis ornata castigat, illorum versuum virtutes adversarius opponit, decorem atque iuncturam. Quae sibi placeant, affert carmina quaedam eaque significat vocibus quibusdam ex iis excerptis. Primum vocat: „Berecyntius Attis", quale a Nerone factum et publice recitatum fuisse Dio Cassius LXI, 20 narrat; secundum, quod celebrabat delphinem, qui Arionem citharoedum per mare tulisse perhibetur; tertium, quod designat his verbis, quae in eo inveniebantur: sic costam longo subduximus Apennino.

„Sic" in vv. 93 et 95 respicit ad v. 92. Hic enim versuum appellavit virtutes decorem atque iuncturam. „Sic" in v. 93 carmina, quae afferat ad eam, quam proposuit, amussim facta esse ostendit. Item in v. 95 „Sic" ad eas virtutes pertinere apparet, quod hexametro una syllaba dempta sit. In versu 95 enim interpretando me dissentientem ab Heinr., qui tertium carmen hoc designari opinatur, scholiastae sententiam amplecti supra iam commemoravi. — Versus 96 et 97 adversario tribuendos esse Heinr. docet. Adversarius errantis multitudinis vicem gerens, quid de Vergilii Aeneide iudicet, his versibus profert. Nonnulli interpretes num fieri potuerit dubitant, ut ita de Vergilio Persii aetate iudicaretur: Sic Passov. p. 315: Dies kann man sich aber nicht denken, daß über Männer wie Vergilius, die ersten Männer der Nation, jemals so solle geurtheilt worden sein. Ad quae Heinr. obiicit: „Wer dies noch nicht gelernt hat, hat sich mit Suetonius, Quintilianus, der schönen Schrift: de causis corruptae eloquentiae" bekannt zu machen,

wo er der Beweisthümer darüber genug finden wird und gerade so freche Thersiten, die über Cicero, Livius und gewiß auch über Vergil weg=werfend absprachen. Man muß wohl festhalten, was eigentlich der Gegner hier in der allerneuesten Poesie als so einzig vortrefflich in Anschlag bringt, die sanft hinschmelzende Glätte und Weiche der Verse, die in ge=wissen Werken ihre Höhe erreicht hatte und wogegen Vergil sich freilich verstecken mußte, wogegen seine Aeneis dem verwöhnten Geschmacke so erscheinen konnte, wie sie hier absichtlich übertrieben gescholten wird. — Adicere mihi liceat Donati (43) testimonium: „Obtrectatores Vergilio numquam defuerunt. Illa aetate, qua molles ac delicatos versus in summo pretio fuisse Persius ipse testatur, quid mirum, Aeneidem, quae nonnihil habet duri et asperi, a multis contemptam et reiectam esse? — Quaeritur, quid sibi velint verba: „spumosum" et „cortice pingui, ut ramale vetus vegrandi subere coctum." Audiamus interpretum sententias; tum quid de hac re sentiam explicabo.

„Spumosum" exponit Schol.: Ita asperum carmen est, ut spumam remittat.

Jahnius explicat: Nonne hoc spumosum i. e. tumidum nec ullius ponderis, ut spuma in snperficie apparet, levis et celeriter evanescens?

Heinr. spumosum, voll Schaums, äußerlichen Unraths, entgegen=gesetzt der glatten äußeren Oberfläche. Atque annotat: Allerdings gibt dieses im Sinne der Stelle keinen völlig entsprechenden Character; viel besser, wenn man die übrigen Prädikate bedenkt, wäre squamosum i. e. asperum.

Equidem veram esse scholiastae interpretationem persuasum habeo. Quo facilius perspiciatur, versuum I, 63. 64 haec verba conferantur: carmina molli . . . numero fluere. His enim quae continetur comparatio, pariter ac quae inest in hac voce „spumosum", desumpta est de flumine. Illic versus comparantur cum aqua molliter defluente, nusquam obstaculis impedita. Aeneis autem confertur cum flumine spumam remittente, quae quidem exoritur multis impedimentis et asperitatibus superandis. Sane concedendum est, spumosum non idem valere quod asperum; sed poetam non gradatim semper progredi quis est qui miretur? De fluminis imagine cogitans effectum posuit pro causa, cum ex illo haec facile possit concludi. — Jahnii interpretatio „tumidum" quomodo cum simili sequente conveniat, prorsus non video. Nam si hic

esset sensus, exspectaremus aliam comparationem, quam supra dixi. Heinr. summam imaginis ponit in eo, quod superficies sit spuma polluta ac vitiata, falso meo quidem iudicio. Atque cum mihi videatur „spumosum" idem sonare quod asperum, sicut antea exposui, coniecturam eius „squamosum" reicio. Quid altera comparatio de ramo arido deprompta sibi velit, facillimum est intellectu, quare plura verba de hac facere omitto. Quod bene disseruit Meister.; videas Jahn. ed. mai. pag. 104.

Persius cum versus 99—103 recitavit, taedio affectus et ingenua concitatus indignatione interrogat: Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni viveret in nobis? vv. 107—110: Sed quid opus . . . littera?" adversarii esse per se patet, qui quamquam iustum poetae iudicium esse concedere coactus est, tamen, ut est animo pravo et humili, verum dicere utile non esse contendit. Difficultas aliqua est in voce „frigescant" interpretanda. Casaubonus translatum esse censet de cibis pridianis ac frigidis, qui minus placent. At hoc nimis remotum et alienum mihi videtur. Frigescere, ut Jahnius explicat, de amore et studio, quod remittitur, usurpatur; pertinet igitur revera ad maiores ipsos, de quibus ad limina, quae iam adire non licet, translatum est. Similiter in v. 106 dicitur de carmine: nec pluteum caedit, id quod esset pedestri sermone: is qui talia carmina pangit, pluteum non caedit; similiter apud Tacitum XII, 16, 5: eductae altius turres facibus atque hastis turbabant obsessos. —

In verbis quoque: „sonat hic de nare canina littera" explicandis interpretes dissentiunt. Heinr. ita exponit: Die Großen sind ein irritabile genus, leicht zu reizen; unser: Da stichst Du in ein Wespennest. Die Gewohnheit der Vornehmen, Kettenhunde zu halten, hat mit dem Sinne der Stelle nichts zu thun. At errasse virum doctissimum suspicor. Lepidissime poeta illustrat quod antea dixit „limina maiorum frigescere." „Hic" enim ad limina respicere apparet. Canis, qui prius tibi blande occurrebat, nunc, cum domini sui erga te amor exstinctus est, minitabundus hirriet i. e. litteram caninam „r" edet.

I, 119. „nusquam" vocabulum a plerisque editoribus adversario tribui video. Heinr., Hermannus, Jahn. quoque in ed. mai. ad hunc pertinere significant; in ed. min. Jahn. mutavit, recte quidem, ut mihi videtur. Vetat enim dialogi Persiani natura, hanc vocem alteri dari. Nunquam enim certam fingit personam, quacum loquatur, sed quasi imaginem hominis quandam eo ipso, contra

quod modo disputat, vitio onerati, adversarium sibi facit. Itaque hac una de causa producit in medium, ut occasionem sibi praebeat, quid ipse sentiat, dicendi. Hoc autem, de quo agitur, loco non est, cur adversarius prodeat. Atque „nusquam" aptissime interrogationes praecedentes: nec clam? nec cum scrobe? complectitur atque concludit.

Sat. II, vv. 18. 19 sqq.

In horum versuum dispositione verborum magna in editionibus conspicitur diversitas. Quae ut commode spectetur, potissimarum editionum lectiones huc apponam:

Jahn. ed. min. v. 18:

De Jove quid sentis? estne, ut praeponere cures?

19. hunc-cuinam? cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?

Heinr. 19: hunc cuiquam? „cuinam vis?" Staio, an scilicet haeres,

Passov.: Hunc cuiquam? „cuinam"? vis Staio? an scilicet haeres,

Casaub.: Hunc cuinam? — cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?

Jahn. ed. mai.: Hunc? „cuinam"? cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?

Duae de hoc loco oriuntur quaestiones:

Prima: Quadretne ad totius loci sententiam, Staium a Persio vocatum (v. 19) intellegi corruptum iudicem in iudicio Juniano commemoratum, cuius mentionem facit Scholiasta?

Altera: utrum „vis" voc. adiungendum sit verbo praecedenti „cuinam", an sequenti „Staio", et num interrogationis signum ponendum sit post haeres?

Ad versum 19 Schol. facit hanc annotationem: Aelius Staius in Juniano iudicio et consortio sedit, qui pecuniam a reo et accusatore accepit, decepitque utrumque. De Scholiastae sententiae veritate dubitat Jahn., qui in ed. mai. pag. 123 ita disserit: „Denique nominat (poeta) Staium, quo nomine Persium de Staieno, qui in iudicio Oppianico iudex corruptus famosum se fecerat, cogitasse, ut tradit Schol., vix possum mihi persuadere. Neque omnino Persium hic hominis vilissimi exemplum afferre voluisse, neque hunc v. 20 sensum esse credo. Sententia haec est: Jovem cuicunque homini nemo praeponere dubitabit, verum quemcumque hominem quis eligat, ut vota sua ei commendet, nunquam talia

ei committet, qualia ad Jovem precatur. Non ergo pessimum et corruptum hominem nominare debebat, nam tali nec bona nec mala vota facile quis commendet, sed boni rectique iudicii, quales multos invenias." Iniuria dubitat vir doctissimus, cum Scholiastae annotatio totius loci sententiae optime convenire mihi videatur. Poeta versibus praecedentibus de iis dixit, qui mala vota ad deos precantur, nonnullaque talium votorum exempla attulit. Quem postremo talia emittentem finxit, aggreditur (v. 17), ut stulte atque absurde eum facere ostendat. Quam non conveniat cum Jovis idea, ut hoc verbo utar, si speret eum mala vota auditurum esse, demonstrat. Quod probare non parat recta via, sed quasi per ambages, per inductionem. Exordium facit ab iuterrogatione: De Jove quid sentis? qua adstruit tamquam fundamentum, ex quo probaturus est suam sententiam. Tum ex adversario quaerit, num quem hominem habeat, cui praeferat Jovem, et cum ille, non clare perspiciens, quid sibi velit, mirans interroget: Cuinam? (i. e. Jovem anteponam) poeta cum indignatione aliqua repetit „cuinam"? Sed statim ei proponit talem hominem, qualem Jovi postponere certe non sit dubitaturus. Propter id ipsum, quod hominem pessimum accivit, ironice quaerit: An scilicet haeres? Et in hac eadem ironia persistens, adiungit: Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis? Quibus acerbissime monet adversarium, ne ullam teneat dubitationem, huic omnium uni corruptissimo Jovem anteferre. Atque cum adversarium assentiri fingat poeta, facit conclusionem, ad quam referendum est „igitur" in v. 20. Concedis: Staio, isti quidem Jovem anteponendum esse; atqui si talia vota, qualia modo ad Jovem precatus es, Staio commendaveris, ille tua perversitate et malitia indignatus exclamabit: Proh Jupiter! o bone Jupiter! Et tu Jovem ipsum non succensere credis, sed tuas precationes auditurum esse? Quae Jahn. affert dubia, nullius ponderis esse mihi videntur. Quod hanc esse sententiam dicit: Jovem cuicunque homini praeponere neminem dubitaturum esse, verum quemcunque hominem quis eligat, ut vota sua ei commendet, nunquam talia ei commissurum esse, qualia ad Jovem precatur," falsum esse equidem censeo. Sane poeta et hanc argumentationem facere potuit: Jovem cuivis homini praeferendum esse negari non potest, etiam optimo cuique atque iustissimo. Atque hominum unusquisque recti iudicii tua vota ut mala respuet; multo magis igitur Jupiter hoc faciet. At longe clarius adversario

Persius demonstrat, quam stulte Jovem improba vota auditurum esse speret, cum etiam hominem nequissimum talia repudiare ostendit. Quod Jahn. deinde annotat, homini pessimo et corrupto nec bona nec mala vota facile quem commendare, mihi non verum videtur. Ut alicui mala vota committant, homines improbum quendam eligent, non eum, qui boni rectique iudicii sit. Atque cum hoc loco de malis votis agatur, aptissime petitur exemplum de homine corrupto.

Altera est quaestio, utrum signum interrogationis ponendum sit post „haeres," an haec verba: an scilicet haeres" arcte conectenda sint cum versu sequente. Quomodo sententiarum nexum concipiam, supra iam exposui. Contra Casaub. monet: „Haec ita uno spiritu continuanda sublata interrogationis nota, quae vulgo ponitur post „haeres:" scilicet, inquit, dubitare aliquis potest? hoc est: omnino dubitare nemo potest, quin melior sit futurus iudex Jupiter quam Staius." At color satiricus multo magis servatur et ad eam, quam adhibet poeta, argumentandi rationem melius quadrat, si non adeo spectat Jovis bonitatem, sed potius Staii malitiam. Haec enim praecipue ante oculos ponatur oportet, ut postea eo gravior fiat conclusio: Quamquam Staius est summa improbitate, tamen tua vota reiciet. — Denique incertum est, iungendumne sit „vis" cum „Staio" an cum pracedente voc. „cuinam" (fr. Heinr. lectionem). Cum „vis" ad „cuinam" coniungimus, tum poeta „Staio" responsione quasi cogit adversarium, ut exemplum suum accipiat, id quod minus consentaneum mihi videtur, quam si ei concedat, quemcunque sibi eligere velit: maior enim tum inest in argumentatione vis persuadendi.

Sat. III, 9.

Omnes fere codices „findor" lectionem praebent, pauci et aliquot editiones veteres „finditur". Heinr. ad hunc locum annotat: Findor ut . . ist die gewöhnliche Lesart, so daß der Schläfer dies selbst sagt; allein dies ist ganz unnatürlich und die richtige Lesart ist finditur. Jahn. cum et in ed. mai. et in min. „findor" receperit, tamen difficultatibus hanc lectionem obstructam esse fatetur. Ego non ausus sum, inquit, (ed. mai. pag. 29) lectionem deserere tot tantisque auctoribus firmatam, quae quamquam potest explicari, quibus incommodis laboret, non me fugit." Atque „finditur" non nisi ex interpolatione ortum esse iudicat, laudatque Hauthalii coniecturam „findimur." Casaub. ita distinguit: turgescit

vitrea bilis: Findor; hactenus iuvenis; quem irridens subdit Persius vel, qui ante est locutus, doctor: ut Arcadiae . . . quasi dicat: verum est, quod ais findi te et ira supra modum esse concitum: sic enim clamas, ut asino rudenti sis similis; postquam dixit, turgescere sibi bilem, merito subiicit „findor." Contra Weber. monet: „Findor ut" ex compendio scribendi male intellecto in libros irrepsisse videtur, quam lectionem, si Casauboni explicationem spectamus, ineptam appellem. — Equidem „findor" lectionem longe plurimorum codd. auctoritate fultam retinendam esse censeo, cum bene possit explicari, si satirae naturam scaenicam attente respiciamus; fr. quae Jahn. in proll. de mimorum imitatione disserit. Simillimus hic locus est illi in v. 55 sqq. sat. I. Ut ibi poeta tamquam tertia persona intervenit patroni et clientis dialogo, ita et hic comiti et discipulo adest. Sed ita inter se differunt, ut ibi poeta partes sustineat colloquentis cum personis in scaenam productis, hic partes agat spectantis, qui quasi ad populum se vertens personarum dialogo intermiscet suas animadversiones. Itaque verba quoque: „turgescit vitrea bilis" tribuo poetae, qui quasi procul aspiciens iuvenem magis magisque ira concitatum haec verba prodit. Tum iuvenis „findor", ad quod poeta: ut Arcadiae . . . ." Audiendum est igitur ante ut: Sic clamat." Sane „ut" non ita aptum esse concedo, et melius ad eam, quam proposui, interpretationem quadraret, si plane exstingueretur. At hoc intellegi posse credo, quod partes, quas modo in actu scaenico poeta suscepit, iam deserit neque usque ad finem retinet. Quod illustratur v. 12 sqq. Nam cum vividissime satiram induxerit actu scaenico, versibus 10 et 11, scaenae mutatione quadam depicta, exspectamus iuvenem ipsum querelas proferentem: crassus calamo quod pendeat umor . . . . Sed recipit poeta iam in v. 12 partes scriptoris meditantis ac referentis: Tunc querimur . . . . Ad haec afferri liceat, quod V. d. Teuffel. (Stud. u. Char. p. 406) iudicat: „Eine weitere Eigenthümlichkeit des Persius ist seine dramatische Haltung. Aber das ist eine ganz andere Art der Dramatik, als wir bei den Satiren des Horaz bewundern. Dieser hat künstlerische Kraft und Fülle genug, um eine gewählte Einkleidung durch das ganze Gedicht mit immer neuem Witze durchzuführen. Persius aber ermüdet bald, er hat keine Ausdauer, seine dramatischen Scenen haben keine Lebensfähigkeit, ihr Lebensfaden ist ihnen zu kurz zugesponnen."

Sat. V, 87. Hoc reliquum accipio, licet illud et ut volo tolle.

In hoc versu et alia lectio praebetur: licet ut volo vivere tolle. Utra sit eligenda videamus. Atque cum codd. respicimus, plurimi optimique primam illam habent. Altera sane aptior esse videtur, cum verba, quibus adversarius in syllogismo utitur quaeque Stoicus removenda censet, iisdem repetantur. Versus hoc modo distinctus maxime placet: Hoc — reliquum accipio — licet ut volo vivere tolle.

Ad Stoici naturam ac morem, fateor, optime quadraret, si eadem, quae alter attulit, verba iterum poneret sine ulla mutatione. Altera lectio ea dirumpit, quae arcte inter se nexa sunt. At propter hoc ipsum haec verba, quae non ita apta esse videntur, postea emendata esse verisimile est, cuius emendationis adversarii sermo praecedens facilem ansam praebebat. Verum vix potest intellegi, cur haec lectio speciosa ac facilis perspectu, si fuisset genuina, mutata sit in illam alteram difficiliorem et minus elegantem. Itaque „licet illud et ut volo" lectionem retinendam esse puto.

Sat. VI, 79, 80:

Quaeritur, utrum verba: „Depunge ubi cistam" poetae an avaro sint attribuenda. Casaub. Persii esse iudicat sicque exponit: „Hic igitur Persius avarum heredem urget, doceat se, ubi sistat, id est quem pecuniae modum consecutus cupiditatem ipsius sit expleturus." Verum plerique interpretes avari verbis continuant et recte, ut mihi videtur. Nam si cum Casaub. interpretaris: Doce me finem tuae avaritiae: atqui modum imponere non magis potes, quam potuit Chrysippus soritis finem invenire et, ubi resistendum esset, definire: omnem tollis sermonis festivitatem atque facetiam. Ac permirum esset, si poeta ad suam ipsius monitionem: „Depunge ..." quasi exultans exclamaret: Inventus Chrysippe... Lepidissime vero ad avari quaestionem, sibi cupiditatis modum constituat, poeta respondet: Inventus ... quo fieri non posse declarat, ut avaritiae modus statuatur, aeque ac Chrysippus finem soritis non invenire potuerit. „Depungere" lectio, quam multi et optimi codd. praebent, multo aptior est, quam altera „depingere". Jahnius in ed. mai. recepit „depinge". Item Hermannus, qui in praefatione Persii editionis annotat: v. 79 „depunge" neque a libris neque a sensu adeo commendari arbitror,

